

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Fide Hvmana Ex Pvrrioribvs Sacris Proscribenda Dissere Pergit

Crichton, Wilhelm

Halae Trans Salam, MDCCLXV.

VD18 13457802

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194494)





12,5 D 2

Ha 33

21.

[207]

DE
F I D E H V M A N A
EX
P V R I O R I B V S S A C R I S
P R O S C R I B E N D A
D I S S E R E R E P E R G I T

S I M V L Q V E
A C T V M O R A T O R I V M
I N R E G I O R E F O R M A T O R V M G Y M N A S I O I L L V S T R I
D I E S E C V N D O M A I I A B H O R A S E C V N D A
H A B E N D V M
I N D I C I T
G V I L I E L M V S C R I C H T O N .



HALAE TRANS SALAM
STANNO GRVNERTIANO MDCCLXV.

FIDE HVMA

PARIORIBVS SACRIS

PROSCRIBENDA

PERRIT

ACTVM ORATORIVM

IN REGIO REFORMATOVM GYMNASIO ILASTRI

DIE SECVNDO MAII AB HORA SECVNDA

GVLIELMVS CRICHTON



HALAE TRANSALAN

STANNO GRVNERIANO MDCCXXV



DE

FIDE HUMANA

EX

PVRIORIBVS SACRIS PROSCRIBENDA.

§. XX.

LIBRI SYMBOLICI ADMODVM VTILES, quin necessarij etiam sunt, quando fidei et doctrinae ratio publice reddenda, aut sinistrae suspiciones, apertaeque calumniae remouendae sunt. Summa illorum erat necessitas, quum patres excusso iugo Romano, fractisque tyrannicae hominum fidei vinculis sanctae puritati studerent, vt integritas doctrinae, eiusque cum S. Litteris consensus monstraretur. Sic felicissimi fuerunt Augustanae Confessionis fructus, ex qua multi, quanta sit Ecclesiae Romanae superstitio, didicerunt; hodieque Catechismorum, quorum vtiuam liberalior esset facies, summa est necessitas, vt homines litterarum expertes, et plebecula habeant in compendio, quae scire neminem non iuuat. Magni itaque facimus libros istos; illis vero nullam adhibemus fidem, nisi QVATENVS concordant cum S. Scriptura. Illos fidei normam esse, etiam negamus, quin omnes, qui ad hanc regulam fidem sanctam exigunt, iniurios esse existimamus in Diuina Oracula. Haec haud temere dicta sunt. *Symbolorum*

auctores homines fuerunt erroribus obnoxii, qui in rebus fidei sacrae praeter scripturam sapere non potuerunt. Quisquis demum fuerit SYMBOLI NICAENI auctor, siue HOSIVS, siue MARCELLVS ANCYRANVS, de neutro tamen constat, vtrum fuerit singularibus donis instructus ^{a)}, imo vero illustra extant humanae imbecillitatis in hoc Symbolo documenta. ^{b)} SYMBOLVM CHALCEDONENSE cufum est ex epistola LEONIS ^{c)}, cui ista dona nulla etiam ratione tribui poterunt. Quod ATHANASIO adscribi solet, eo minus diuinum vocare licet, cum disceptent adhuc, vtrum ATHANASII, an sequioris aetatis foetus sit. ^{d)} Si vero etiam posset huic viro vindicari, inde tamen illi Symbolo maior auctoritas certe non accederet. ^{e)} Multo igitur minus insolitis donis et muneribus vti potuerunt recentiorum Symbolorum auctores; siquidem ex eorum vitis, eos saepius errasse, suosque errores confessos esse ipsos, constat. ^{f)}

Vtrum

^{a)} HOSIVM auctorem fuisse vult SVLPICIUS SEVERVS L. II. c. 40. Conf. etiam SANDIVS l. c. p. 168, 226; MARCELLVM ANCYRANVM vero ex EPIPHANIO. haer. LXXII. Symboli istius conditorem fuisse, nonnulli colligunt, e quibus sunt LAVRENTIVS VALLA et SANDIVS l. c. p. 53; nec defunt, qui ATHANASIO, qui HERMOGENI NEO-CAESARIENSI hunc honorem vindicant.

^{b)} Symbolum, quod mutari, mutilari, in eo scilicet. quod rei caput est, et adaugeri potest, non potest esse diuinum. In aliis exemplaribus vox *μονοθεος* extat, quae est in aliis omissa; (Conf. ARNOLD l. c. L. IV. c. VII. §. 21.) deinde Constantinopoli adauctum est. (Eodem auctore l. c. §. 31.) Memorabile nobis esse videtur testimonium SOCRATIS, (L. II. c. 40.) vbi agit de Acaei in Seleuciensi Concilio fidei expositione, affirmantis, si ab initio de Nicaena fide ita sensissent, tum ii, qui ante istos vixerunt, tum qui illos subsecuti sunt, cessaturam fuisse quaestionem omnem et contentionem, nec violentum, et rationis expertem tumultum in ecclesia fuisse valiturum. Sed quemadmodum ista, inquit, se habeant, prudentioribus iudicandum relinquo. CALVINVS quidem Formulam Concilii Nicaeni DEVM DE DEO *duram* appellat; (Ep. I. ad Polonos, et adv. Gent.) ministri Geneenses (Ep. ad principem Radziuilum) vocant *ambiguam*. Conf. SANDIVS l. c. p. 169. Esse hoc Symbolum humani ingenii foetum falsi sunt ipsi fidei Nicaenae defensores, apud SOCRATEM L. II. 29; SOZOMENVM L. IV. 17; THEODORETVM L. II. 18. Et lumen illud Patrum, celebratissimus AVGVSTINVS L. III. c. 14. contra Maximinum Arianum: — *nec ego, inquit NICAENVM, nec tu debes Ariminense, tanquam praediacaturus, proferre Concilium: nec ego huius, nec tu ILLIVS auctoritate derineris. SCRIPTVRARVM auctoritatibus, non quorumcunque propriis, sed vtriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet.*

^{c)} EVAGRIVS L. II. c. 4, 18.

^{d)} SANDIVS l. c. p. 256. verum etiam in Additam. p. 34, 35. ARNOLD L. IV. c. IV. §. 17.

^{e)} Lege eius vitam apud eundem scriptorem l. c. §. 11.

^{f)} Paene blasphemum est, quando nonnulli MELANCHTHONEM, cum scriberet Confessionem Augustanam, et Formulae Concordiae auctores *Ομνιστορας* fuisse affirmant.

Vid.

Vtrum vero in his libris humanae vanitatis vestigia extent, et in Formulæ Concordiæ §) præfatione, quod vult THOMASIVS ^{h)}, aperte stabiliatur fides carbonaria, Laici omnes etiam pro truncis habeantur et stipitiibus, disquirere nostrum non est. Vt autem plurimi libris istis humanis firmiter inhaerent, eosque et leges sacrorum, et arma aduersus quemlibet dissensum faciunt; sic nec defunt prudentes viri, iique grauissimi, qui longe aliter sentiunt. De LVTHERO supra diximus ⁱ⁾; verum etiam e Reformatorum coetu fuerunt, qui neminem pro schismatico habendum esse putarunt, qui a formulis confectis, symbolisque recedit, neque si ecclesia fuerit expulsus, eos potius, qui hunc eiecissent, schismaticorum nomen mereri ^{l)}. Magnum illud Fridericianæ nostræ decus, veritatis acerrimus vindex, THOMASIVS pro ea, qua eminebat super seruale genus, animi dexteritate: præter rationem, inquit, et S. Scripturam nullum alium libellum admitto, minime vero omnium a Clero confectum, et conscientis Laicorum obtrusum. Volo iure uti, quo LVTHERVS vsus est, quod non potest denegari ulli homini. Symbola et Libros Symbolicos, quæ confessio-nes sunt eorum, qui consecrunt, non odi, sed quæ normæ esse debent conscientiarum aliarum, et iudices controuersiarum, omnes non odi quidem, sed horreo, et si opus est, ad iuramentum perhorrescentiæ me offero. ^{m)}. Dic quaeso, si Symbolorum tam magna est auctoritas, quibus vsus sit PAVLVS? Quare Apostoli nullam eiusmodi formulam condiderunt? Quare ne diuinus quidem generis nostri Redemptor. Haec nouitas suspecta est, quod viri a felicissimo saeculo, quo longe maiora dona hominibus concedebantur, longius remoti leges condere coeperint, auctores ecclesiarum, Apostoli diuinitus eruditi id ausi non sint. Prima etiam repurgatae ecclesiæ ætate Librorum Symbolicorum nulla fuit auctoritas, sed aliis scriptis humanis pares habiti sunt. ⁿ⁾ Si tandem multitudi-

A 3

nem

Vid. (Gottf. Less.) *Elre der Bekennnißbücher* Leipz. 1758. p. 15, 16, 20. et ARNOLDVM L. XVI. c. XVIII. §. 3. 18, 32. Mirabitur forte quispiam, me toties ARNOLDVM auctorem sequi. Scito vero, me testimonia eius, quem saepius in insigni errore deprehendi, minime recepisse oraculorum instar, sed hæc etiam accuratius per-ponderasse. Quisquis es, noli ARNOLDO credere, refuta testes, quos adfert, aut fidem historicam causæ tuæ patrocinaturus omnem tolle.

g) Cuius quidem conditorem, vnum enim ceteris imposuisse leges, dubio caret, nemo, qui veritatem candide scietur, laudare audebit. (ARNOLD L. c. §. 19.)

h) l. c. in app. i) §. VIII. l) ARNOLD L. XVII. c. X. m) l. c.

n) ARNOLD L. XV. c. XVIII. §. I. — Ni omnia, et oculi ipsi nos fallunt, idem volunt, quorum auctoritatem timentur, Libri Symbolici. Hæc enim leguntur in FORMULÆ CONCORDIÆ (Epit. Articul. de quibus controuersiae ortæ sunt — et illi quidem statim ab initio, ubi agitur de compendiaria regula) *Credimus, confitemur*

§. 4. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

nem istorum librorum intueris, facile vides, omnem illorum auctoritatem aut pendere a praecua, eaque seria investigatione, et sic eandem omnino imminui, aut a placitis Theologorum et effatis, quod summa vrique tyrannis est. Quam varia iam sint symbola, qui nunc haec, nunc illa coetibus obtrusa sint, disputare nil attinet, quum haec consuetudo recentioribus etiam temporibus nondum defecit. Nemo non videt, ex Libris Symbolicis se, si velit ratione uti, diiudicare non posse, quatenam ecclesia ad veritatem proxime accedat, cum vnaquaeque suorum Symbolorum auctores summis efferat laudibus; nisi forte dicas, quemlibet oportere id Symbolum sequi, quod in patria aut familia legis vim obtinuit, ut itaque Saxo Formulam Concordiae, Baranius Leges Dor-dracenas, Consensum suum Heluetus, tanquam optimam debeat fidei normam accipere, licet hoc aut illud Symbolum necessario errauerit. Vera vique est vox SOPHRONII Pompeiopolis Paphlagoniae urbis Episcopi in Concilio Seleuciano: *ο*) *ει το ναδ ενιστην ημεραν ιδιαν εντιθεσθαι βαλυσιν, πιστως υπαρχει ενδεσς, επιδεσσει ημεας η τις αλινδελας ανελθειν*. Salutaris itaque fuisset ecclesiae repurgatae, si a multiplicandis Symbolis abstinuisset, ac in AVGVSTANA acquievisset CONFessione; sic paci, veraeque civitatis sacrae felicitati optime esset consultum. Quod eo facilius potuisset effici, cum Confessio ista non transferretur modo in permultas linguas, et de fide Protestantium inter

et docemus VNICAM regulam et normam, secundum quam OMNIA DOGMATA, OMNESQUE DOCTORES aestimari et iudicari oporteat, nullam OMNINO aliam esse, quam PROPHETICA et APOSTOLICA scripta cum Veteris, tum Novi Testamenti. Reliqua vero siue PATRVM, siue NEOTERICORVM scripta, quocumque veniant nomine, S. Litteris NEQVAQVAM sunt acquiparanda, sed universa illis ita subijcienda, ut alia ratione non recipiantur, nisi TESTIVM loco — —

o) SOCRATES L. II. c. 40. Nec possunt, quin addam memorabiliora HILARII verba: (citata ab ABRAHAMO BUCHOLCERO in Chronologia p. 649. quae est hist. eccl. Euf. Ruf. Socr. etc. a GRYNÆO editae adiuncta) Post Nicaenam Synodum, inquit, nihil aliud, quam fidem scribimus; dum in verbis pugna est; dum de novitatibus quaestio est; dum de ambiguis, dum de auctoritatibus querela est, dum de studiis certamen est; dum in consensu difficultas est; dumque alter alteri anathema esse coepit, prope iam nemo est CHRISTI. Proximi anni fides quid immutationis habet? Primum decretum *εποχιστον* decernit taceri; sequens rursus *εποχιστος*, decernit et praedicari: tertium *ετοις* simpliciter a patribus praesumptam, per indulgentiam excusat; quartum non excusat, sed condemnat. Tandem eo processum est, ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, sanctum exinde aliquid atque inviolabile persisteret. Annuas atque mensuras de DEO fides decernimus, decreta poenitemus, poenitentes defendimus, defensores anathematizamus, aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus, et mordentes invicem iam absimul sumus. His similia testimonia vide apud ARNOLDVM L. IV. c. 8. §. 10. L. XVI. c. 20. §. 9.

omnes gentes constaret p); verum etiam vel ipse CALVINVS illi subscripserit q), et Confessio corpori Symbolorum Reformatorum addita sit. r)

§. XXI.

QVOD IVSIVRANDVM RELIGIONIS et subscriptionem librorum at-
tinet, ne falcem alienae messi immittere videamur, lubentissime silemus. Iuris
Doctores hanc sibi quaestionem vindicant. Quis est, quem disputare libeat cum
viro, qui imperiosa voce — ex quo, inquit, consequum sit, principem recte ac
propitio iure postulare, ut Libris Symbolicis ciues, ac pastores ecclesiae imprimis,
subscribant hac formula: QVIA cum S. Scriptura conveniunt, et DAMNA-
RE illos, qui hoc modo, QVATENVS conveniunt, eos assumendos esse statuit.
Licet enim non audeam adfirmare Augustanam Confessionem esse normam fidei, sed
NORMATVVM dici debere existimem; Oecumenicam tamen MEDIATAM
ipsi recte adscribi putem. Ex quo sit, ut videamus Arnoldum — — —
aliosque huius furfuris DELIROS censors, et Augustanae Confessionis sciolos
obtrectatores — — Sed exclusi hi vivunt a beneficiis, quae leges imperii statuunt
Augustanae Confessioni. Ne conquerantur, si suo sensu abundantes eiiciantur ex im-
perio; sed cogitent potius, se Pseudomartyrum augere numerum, s) Vtrum sub-
scriptionis, et iurisiurandi nulli sint abusus; quando orta sit haec consuetudo;
quas ob causas introducta; qua re et quo fine Augustanae Confessionis subscri-
pserint Germaniae principes; quare antiqui Christiani his ritibus superfedere
potuerint, videant alii. Id quidem dubio caret, Symbolum Apostolicum ab omni-
bus assumi Christianis, licet ad id assumendum nulla vi cogantur; e contrario
vero neque splendida ceterorum Symbolorum beneficia, neque vim et auctori-
tatem ministrorum a principibus suffultorum, potuisse Christianos omnes ad
concor-

p) Conf. ESTOR in delineatione iuris publici ecclesiastici Protestantium exhibente iura
et beneficia Augustanae Confessionis c. I. §. 6. p. 7.

q) Ep. CCXXXVI. Martino Searligio Eccl. Ratisb. Past. — Ego, si quis alius, inquit,
veram et sinceram confessionem expeto, quam modo DEVS ipse verbo suo sanciat: nec ve-
ro Augustanam confessionem repudio, cui pridem sciens ac lubens subscripsi, sicuti eam au-
ctor ipse interpretatus est. In eandem sententiam loquuntur IO STURMIVS in Ep. ad
Frid. Princ. inter Epist. Caluini CCCIV. et HIER. ZANCHIVS miscel. tr. de coena
Domini conf. ad Magistr. Non magni igitur facimus WERNSDORFII solidam,
si diis placuerit, et hoc tempore necessariam demonstrationem, quod iuxta Caluini do-
ctrinam Reformati nec sint, nec iure haberi possint socii Augustanae Confessionis
Witt. MDCCXXII, editam, et quotquot tantum ducem sequi amant.

r) Corpus istud editum est Genueae MDLI, et prae se fert rubrum: Harmonia Con-
fessionum fidei orthodoxarum — —

s) ESTOR l. c. c. IX. §. 18. p. 124.

concordiam reuocare. Quum etiam Libri Symbolici inter se non consentiant; errasse vnum aut alterum necesse est; errasse vtiq; Theologorum nonnulli statuunt¹⁾; nos quemlibet suo stare iudicio sinimus, leges enim interpretandi, si partium accesserit studium, facile detorquentur.

§. XXII.

VERVM ENIMVERO facile praeuidemus, quam impios nos esse, et profanos, vel religioni, vt loqui amant, inimicissimos, sint clamitaturi. In pēnerralia enim superstitionis irruere, et mysteria *humanae fidei*, quae vt in Capitolio Ioui vicina esse creditur, aperire impune vix licet. Tantus autem nos cepit veritatis amor, vt iniurias non extimeamus, rationes tamen, si quas attulerint, haud neglecturi; quin etiam melliora edocti nos errasse libentissime fatebimur. Dicunt, *in fide humana multa esse, quae bona vtiq; sint*, et a Conciliis et Symbolis egregios fructus ad ecclesiam redundasse. Concedimus, fidei humanae strenui defensores, inesse in sententia vestra veri, in fide ista boni aliquid. Nulla res tam abiecta et turpis est, quae nihil prorsus boni in se contineat; at de hoc in praesenti causa non quaeritur. Neque nos dogmata Conciliorum et Symbolorum impugnamus, sed auctoritatem, qua nituntur, humanam. Nostrum esse putamus, vt diuinam Redemptoris mansuetudinem, amorem inimicorum, errantium tolerationem imitemur; de sanctitate autem huius officii, nos neque Concilii, neque Symboli, neque Excellentissimorum Doctorum auctoritas, sed Seruatoris praeceptum certiores reddidit. Neque nos, inquit, *caeca fide dogmata tenemus*, sed omnia ponderamus lance S. Scripturae, et quae Concilia et Symbola huic normae conuenientia constituunt, ista assumimus. Recte, amici, S. Scriptura et sana ratio fontes sunt, e quibus haurienda est sancta veritas; hoc si conceditis, quae est tandem Conciliorum, et humanarum Constitutionum auctoritas? Superflua sunt ista opera, quae sancte tueri, et legum loco ponitis; nisi enim concordant cum S. Scriptura, aut si quid continent, quod rationi rectae repugnat, assumi non possunt. Omnes igitur libri, haereticorum etiam, qui neque Oraculis Diuinis, neque doctrinae, de qua aliunde certius constat, repugnant, cum vestris Symbolis pari iure gaudebunt. Probe scimus, quae hisce solent opponere puritatis, quam vocant, anxie studiosi homines; *latebrae haec sunt haereticorum*, aiunt, qui neglectis Patrum et Doctorum constitutionibus, sub Scripturae velo se volunt abscondere. Ad

¹⁾ CHYTRAZI sententiam vide apud ARNOLDVM L. XVI. c. 18. §. 9. Acerrimi etiam Symbolorum defensores in rebus nonnullis aberrasse a vero auctores haud negant. Conf. LESZ l. c. p. 19.

EX PVRIORIBVS SACRIS PROSCRIBENDA. 9

Ad haec pluribus respondere placet; audite ergo haeresum atrociores, quam flagitiorum infectatores, audite, quam male calculos vestros subduxeritis.

§. XXIII.

SI RES ITA SE habet, quod haereses et impiae opiniones tutelam in S. Scriptura, et securitatem inueniant, neque possint refelli, nisi constituantur decreta humana; quae demum vobis est S. Scripturae *perspicuitas*? Protestantes quidem in eo conueniunt, quod dogmata ad salutem maxime facientia ea claritate in S. Litteris tradantur, vt quilibet facili negotio discere ea possit; solent etiam plerique haereticum illum vocare, qui in articulis, vt loqui amant, fundamentalibus errat; ex vestra igitur sententia fluit, aut haereticorum errores non esse fundamentales, aut res maximas atque grauissimas in S. Scriptura obscure doceri. Quae placeant, eligite, vos non esse rite argumentatos, propriisque repugnare placitis, sole clarius est. Dolemus etiam vices vestras, qui vestram religionem ex scriptis humanis melius defendi posse existimatis, quam ex scriptura diuina, secuti exemplum Pontificii in comitiis Augustanis, qui se etiam LV THERVM ex patribus, non autem e Scriptura refutare posse fatebatur; in vos igitur vere accidit, quod respondit illi homini Dux Bauariensis: vestri aduersarii Scripturae inhaerent, vos estis ab ea alieni. Prorsus autem nescimus, quid velint, qui quidem auctoritatem Symbolorum magno cum eruditionis apparatu, et alta, minaci interdum etiam voce defendunt, solos tamen articulos fundamentales in Symbolis traditos, minime vero illorum explanationes et probationes accipi debere docent. Quod si ergo ne in definiendis quidem, et demonstrandis dogmatibus Symbolis habenda est fides; qui poterunt articuli isti fundamenti loco ponendi tutius absque omni probationum praefidio assumi? Quanta sunt etiam inter Theologos de articulorum fundamentalium natura, discrimine, numero dissidia? Articuli aliis sunt fundamentales, qui aliis minime sunt; vt itaque nec iurata subscriptione pariaturs consensus, si quidem se quilibet in fundamentales articulos, qui sibi tales esse videntur, non vero in ceteros iurasse, et de his igitur, quicquid lubuerit, sentire se posse opinabitur. Dicunt quidem, articulos istos Scripturae verbis definiiri; quid igitur opus est Symbolis, cum id, in quo cardo rei versatur, totidem verbis in S. Scriptura extet, cetera vero fidem non mereantur. Ast nunquam legerit necesse est celebratissima Symbola, quae multis in coetibus praeprimis vrgeri solent, qui in illis articulos, quos fundamentales, et quidem primi ordinis esse volunt,

B

non

non verbis Scripturae, sed humanis descriptos esse nesciat. Quot erunt fundamentales, si solis Scripturae verbis inhaerendum, humana vero negligenda sunt? Nonne sic etiam cuilibet Symbolo quilibet Christianus bono poterit animo subscribere? Quod tamen fini Symbolorum quam maxime repugnat. Quærimus tandem: num scripta vestra humana detorqueri nequeant? Recte quidem dicitis, esse dogmata limitata, restricta, terminisque scholasticis tanquam carceribus et vinculis inclusa, hæc vero expositio, num ex DEO est, an ex hominibus? Posterius si negare non poteritis, permitte, ut stet quisque suo iudicio, etiam hominis iura tenens, alias usurpatis tyrannidem, et in DEI iura inuolatis. Licet etiam humana arte sacra effata ad doctorum ingenia sint in libris vestris detorta; hoc tamen non obstat, quin ipsi Symbolorum interpretes a se dissentiant. Addimus, Concilia et Symbola erroribus non fecisse finem. Sic non dubitamus, fore multos in utroque Protestantium coetu, qui errori, quem NESTORIO imputare solent, faueant; ut etiam in hoc de S. coena, in illo de decretis multi longe aliter sentiunt, quam Libri Symbolici ecclesiae, cui se socios publice adiungunt, aut omnes præscribunt, aut plurimi. Quam inania igitur et peruersa sunt hominum conamina, qui alios cruciant, alios eandem sententiam secutos tolerant, imo eorum sunt incuriosi? Verum hæc utique non ex dissensu, sed periculis, quæ auctoritati humanae imminet, diiudicantur. Fallatur indoctum vulgus, nil inde mali; ubi vero Theologus aut Philosophus vel dubitauerit saltem, proximus ardet Vaelegon, profanus esto.

§. XXIV.

DISSENSUS ISTE, quem Symbolis et Conciliis minime tolli ostendimus, non semper tam periculosus est, ut tolli omnino debeat, neque semper potest. Ut enim nullae res ex omni parte consentiunt; sic etiam opiniones hominum non possunt non ex aliqua saltem parte a se inuicem dissidere. Huc faciunt ingenia non eadem omnibus concessa, natiuitatis locus et tempus, parentum et præceptorum conditio, studiorum et sociorum diuersitas. Quæ si rite expendis, concordiam opinionum his in terris frustra expectari videbis; qui dissensus tamen non necessario minuit societatis humanae felicitatem. Ut in antiqua Graecia Philosophi Pythagorici, Epicurei, Stoici, Platonici, Peripatetici, Cynicique fuerunt, patriam tamen suam non turbauerunt^{u)}; sic etiam in sacra civitate

u) Conf. Quæ Constantinus Alexandro et Ario obicit de modestia Philosophorum apud SOCRATEM L. I, c. 7.

virate dissensus potest et debet tolerari absque publicae et communis salutis periculo, in primaeva etiam, eaque purissima ecclesia toleratus est. Quin etiam Ecclesia Romana, licet eius sectae, et ordines non solum in rebus minoris momenti, sed etiam gravissimis, et in eo, quod caput haereseos est, Pontificis auctoritate, mirum quantum a se dissideant inuicem, mole tamen se tenuit sua, et fortuna longe splendidiori utitur. Si tandem haeretici S. Litteras in usus suos conuertunt, hae ideo abrogandae non sunt. Licet diabolus Scripturas creparet, attamen non desit iisdem armis hostem debellare Diuinus Redemptor. Si omnia arma, quibus utuntur aduersarii, abiicienda sunt, abiice etiam rationem, et te pecorum gregi adiunge; infensissimi enim, et pertinacissimi diuinae veritatis hostes ratione gloriantur. Neque tamen fas esset recentissimum, quo confirmare voluerunt Symbolorum sanctitatem, quod non quidem specie, vi tamen et pondere caret, praeterire argumentum. Vnicuique ecclesiae, seu societati, competere ius dicunt ponendi conditiones, quas seruent, qui privilegiorum sacrorum participes esse cupiunt, et inter Christianos et doctores intercedere pacta sancte seruanda; illas vero conditiones poni in Symbolis, et ad haec pacta referri. Salua res esset, si ecclesia a ceteris hominum coniunctionibus, quas suo iudicio inire et conciliare possunt, prorsus non differret. Ut vero in omni societate ad leges morum, quin etiam civile ius attendendum est, si alias legitima esse velit; sic etiam in ecclesia inprimis ratio habenda est sancti Evangelii, cui vero si institutio ecclesiastica aduersatur, frustra crepant societatis ius, quod nullibi, et minime in rebus sacris ab hominum arbitrio pender. Conditiones istae, sub quibus homines sunt coetui sacro addendi, non sitae sunt in potestate mortalium. Num tu communionem tua eiicies, quem olim in beatorum sedem recipiet DEVS? Quid igitur opus est tuis conditionibus, cum illae diuinae neque tuae voluntati, neque mutationi vlli sint subiectae? De pactis hic etiam minus apte causilla inseritur; in his enim nihil potest constitui, quod pugnet cum lege, et officio maiori. Sic neque Reformatores potuissent tradere puriorem doctrinam, si pactorum, quae fingunt, tam sancta essent privilegia.

§. XXV.

CVM TAM, prout id permittunt seripcionis nostrae limites, quanta sit fidei humanae in rebus sacris auctoritas, satis euictum sit, haud ab re erit, vt dispiciamus, qui huius fidei fuerint fructus. Quod si nonnullas hanc causam perorantes audire plauecit, magna erunt, quae Concilia et Symbola rei sacrae

compararunt, emolumenta; verum res factas consideremus, Metaphysicorum enim more a principiis rem altius repetere, et quid fieri possit, disquirere, ad rem praesentem nil facit. Sic vero ausim ferme affirmare, quod maximae calamitates a fidei humanae abusu ortum traxerint. Quod certior reddita fides, securitati ecclesiae et sanctitati consultum, pax restituta sit, ostendant, qui Conciliorum praestantiam summis laudibus efferre solent. Certissimos nos reddunt istorum saeculorum, quae supersunt, monumenta, non pacem, sed maiores lites, tristiora dissidia post acta Concilia exorta esse, quam ante eorum congregationem fuerant. Sic

*Nescia mens hominum fati, sortisque futurae,
Et seruare modum, rebus sublata secundis.*

Damnatur a CONSTANTINO ARIUS, in exilium pellitur; idem Imperator redit cum ARIUS in gratiam, fauet eius partibus *), et sic secta Catholica Arianæ victrix Arianam iam vincere queritur. y) Succedit CONSTANTINO filius CONSTANTIVS; hic orthodoxos odio habet z) quos tandem VALENS multis iniuriis lacerat. a) Tanta mala ecclesiae attulit schisma, quod ex causa priuata ortum traxerat. Quid ad ecclesiam, quod ARIUS et ALEXANDER se inuicem haereticos vocitarent? Vt vero Concilium Nicaenum fidem Arianam minime

x) SVLP. SEV. L. II. c. 35. THEODORET. I. 14. II. 3. SOCRAT. I. 25. 33. 35. RUF. I. II. SOZOM. II. 27. 31. SANDIVS p. 173. 174, 186, 187. ARNOLD L. IV. c. II. §. 21.

y) De victoria Arianorum sub Constantino, eiusque successoribus innumera sunt testimonia; quaedam saltem commemorabimus. THEODORET. I. 14. haeresin Arianam dicit habuisse testimonium et patrocinium ab Imperatore et omnibus mortalibus. Apud EUSEBIUM de V. C. L. III. 61, 62. Constantinus dicit, omnes Christianos Eusebium apud se esse episcopum ambuisse. SVLP. SEV. l. c. *Tum haeresis, inquit, Arianorumque orbem inueto errore turbauerat. Etenim duobus Arianis, acerrimis perfidiae huius auctoribus, Imperator etiam deprauatur; dumque sibi religionis officium videtur implere in laicos, qui se ab Arianorum communione secreuerant. Totum orbem fuisse Arianum ex HIERONYMO aliisque SANDIVS p. 160, 161, 270, 271. ARNOLD L. IV. c. IIX. §. 14.*

z) Testes sunt IULIANVS in Ep. LIII. ad Bostrenos Edit. Spanh. p. 435. seq. EPIPHANIUS haer. LXIX. THEODORET. II. 3. SOCRAT. II. 2, 28. SOZOM. III. 18. IV. 2. licet eum ab hac nota purgare velit GREGORIUS NAZIANZENSIS in Orat. III. et IV. contra Iulianum.

a) SOCRAT. IV. 1, 16, 17. SOZOM. VI. 6, 14. RUF. II. 2, 5. THEODOR. IV. 13. SANDIVS p. 250.

minime sustulit; sic nec *Ephesinum Nestorianismum* exstinxit, qui oriente toto olim iam per Syriam, Chaldaeam, Assyriam, Mesopotamiam dispersus sedes suas in hunc usque diem fixit. Nec felicior fuit *Concilii Chalcedonensis* exitus. Eutyechianismus triumphauit, quamdiu in viuis fuit THEODOSIVS. Quam atrociter in Catholicos fauierunt Eutyechiani? Quare non ante Concilium de *Henotico* cogitabatur, cum postea frustra ediceretur, nec ab Orthodoxis, nec ab Eutyechianis concorditer probatum. b) Dicat tandem acerrimus Conciliorum defensor, cui vsui sint infelices falsae philosophiae spinæ et nugæ, quæ sanctissimæ veritati nullam maiorem lucem addunt, verum ampliorem aperiunt disceptationibus campum? Serpit hæc pestis ab illis demum sacculis c) ad nostram usque ætatem, vt in doctrina salutari, quam nos ratione duce et natura nunquam potuissè assequi, verum liberæ diuinæ gratiæ donum esse, vno ore fateamur omnes, vanis vœculis ludere et superbire velint plurimî, obliiti Apostolicæ simplicitatis, quæ maiorem pietatem primæ ecclesiæ, pacemque conseruauit. Scire AMBROSIVS: d) *In simplicitate fides est, in fide iustitia est, in confessione pietas est; non per difficiles nos DEVS ad beatam vitam quaestiones vocat, non multiplici eloquentis facundiae genere sollicitat; in absoluto nobis ac facili est æternitas, IESVM SVSCITATVM A MORTVIVS per DEVM credere, et ipsam esse dominum confiteri.* Dices fortasse, hunc esse vsum Conciliorum, vt hæretici ab Orthodoxis distinguantur; hæc si tibi seria mens est, nec Pontificii sunt hæretici, hi enim Concilia ad superstitionem usque vrgent. In ecclesia repurgata habitas synodos putas? Lutherani quidem a Reformatis, hi ab Arminianis auulsi sunt, et moenia extructa, quibus a se inuicem tristi modo arceantur; res dignæ sacris conuentibus! Pharisei quidem cum Sadduceis, quamuis immane quantum opinionibus a se inuicem dissiderent, in vno templo sacra celebrarunt, vtrisque etiam patuit ad summos honores aditus; Christiani de voculis sæpissime litigantes, et si res bona mente ageretur, in eo, quod caput rei est, consentientes, cum fratribus vna ex Romana seruitute egressis, qui vero in terminis ἀγχαφῶς dissentiant, sacra communia habere religioni sibi ducunt.

B 3

b) Vid. IABLONSKI diff. de *Henotico*, eiusdemque hist. eccl. P. I. p. 154. Nec non MOSHEM Inst. hist. eccl. L. IV. Helmst. MDCCLXIV. Sæc. V. P. II. c. 14. §. 16. seq.

c) Licet in Concilio etiam Nicaeno, cuius assessores sibi hac in re hand constituisse videntur, peregrinis, a Sacra Scriptura alienis, ἀγχαφῶς vocibus vti prohiberetur, ex quibus teste EVSEBIO omnis fere ecclesiarum dissensio ac perturbatio, εὐχρηστικῶς καὶ ἀναίτια exorta est. Conf. SOCRAT. L. I. c. 8.

d) de Trinit. L. X.

ducunt. Se quidem illas Iudaeorum haereses Variniano odio persecutae sunt, sed nec hodie hoc odium inter Christianos desit, licet in multas abierint societates, neque ut illi Iudaei in una ciuitate degant. Quis tam hospes est in re litterarum publica, qui non nouerit dictatores illos *Caluiniatorum* et *Sacramentariorum* modesto nomine recentissimas suas seripiones et censuras exornantes? ^{e)}

§. XXVI.

EX HIS DISSIDIIS tanquam infelicissimis seminibus enatae sunt dirae illae *vexationes*, quae etiam ethnicos ad stuporem rapuerunt. In libris Arianis, cum antistites et populi multitudo se conuiciis lacerarent inuicem, eo tandem indignitatis res processit, ut sancta doctrina turpissimo risu ac ludibrio in theatris gentilium traduceretur. ^{f)} AMMIANVS MARCELLINVS non honorificam certe huius peruerstitatis mentionem etiam iniicit, nullas *infectas hominibus*, inquit, *bestias*, ut sunt sibi *ferales plerique Christianorum*, expertus (Iulianus). ^{g)} Et quis est, qui nesciat, quanto offendiculo fuerint ab illo Constantini saeculo religionis hostibus atroces poenae, quas in errantes decreuerunt Christiani? Abderitanæ pectora plebis, vel inhumana potius, omnisque sensus expertia habeant: necesse est, qui non mirentur, qua homines ob opinionum dissidia in homines saeuant,

^{e)} Non possumus a nobis obtinere, quin in ecclesiae nostrae honorem singulare pacis studii specimen ex historia repetamus, cui forsitan non habebunt alii, quod opponant exemplum. Cum ex occasione cuius eiusdam Lugdunensis, cuius filiam ambibat adolescens Germanus Augustanae, ut loquuntur. Confessioni addictus, quaesitum esset, quo loco habendi forent ii, quos vulgo Lutheranos vocant, fratres qui ad Synodum Carentonae in suburbano Parisiensi MDCXXXI. conuenerant, ex omnibus Galliarum prouinciis ab ecclesiis missi, vniuersi ita censuerunt: Quando Augustanae Confessionis ecclesiae cum ceteris reformatis in omnibus verae religionis principiis, articulisque fundamentalibus conueniunt, cultumque exercent purum ab omni idololatriae et superstitionis labe, si qui sint illius professionis homines, qui cum charitatis et lenitatis spiritu sacros ecclesiarum nostrarum coetus frequentent, earumque communionem expectant, iis sine ulla ab iuratione praecua, liberum esto ad sanctam Christi mensam nobiscum accedere, matrimonia cum nostrae confessionis feminis contrahere, et infantes baptismo tingendos de more offerre, atque suscipere, dum nostris synodis in hoc ultimo casu sancte spondeant, se infantes, quos de sacro lauacro susceperint, neque directe unquam, neque indirecte aduersus eam, quam nostrae ecclesiae credunt atque profitentur doctrinam sollicitaturos, sed ea duntaxat fidei capita edocturos, de quibus inter nostras ipsarumque ecclesias conuenit. Conf. De pace inter Evangelicos procuranda sententiae IV. traditae Io. Duræo. Londini MDCXXXVIII.

^{f)} EUSEBIUS de V. C. L. II. c. 61,

^{g)} Hist. L. XXII.

faciant, ferocitatem ab omni non solum religione, sed etiam ratione alienam, eamque non detestentur, cum nec lupis unquam hic mos fuit, nec leonibus, nisi in dispar genus.^{h)} Ex illo autem tempore, quo fides humana legis vim nacta est, haec etiam vexationes sumserant initium. Dici vix potest, quam immanes in haereticos decreuerint poenas. Non subsistunt, ut THOMASII verbis utamur, in exclusione a societate ecclesiastica, verum dissidentes a consortio ciuili arcant, maledictionibus prosequuntur, eiectis etiam nocere student, imo etiam eos mutant, qui istos receperunt, aut defenderint. Hinc noua mala: haereticis non est seruanda fides, ne domino quidem obsequendum, haeretici ad officia publica non admittendi, eorum sponsalia et matrimonia contracta possunt solui, mulieres haereticæ non gaudent privilegio dotis; denegatur haereticis auxilium aduocatorum, contra eos admittuntur etiam excommunicati ad testimonium, imo non opus est, et reus et accusatorum nomina iis publicentur; potest haereticis decerni poena exilis; damnantur etiam ad perpetuos carceres, imo ultimo supplicio afficiuntur, et denique honesta sepultura iis denegatur. — — — i) Tantum potuit superstitio suadere maiorum; tantae sunt animis coelestibus irae. Quo iure vero haec poenae decernantur, videant, qui tantam inhumanitatem amant, maximorumque tumultuum faeces saepe sunt et tubae. Plerumque forte AVGVSTINI somnium de Hagare domo Abrahami eiecta, cuius exemplo nempe vera ecclesia de falsa poenas sumere possit^{l)}; aut MAIMBYRGII de haeresi Monarchiae inimicissima; aut THOMAE, qui haeresin cum crimine ciuili confert, et quia maius crimen sit, fidem, quam pecuniam corrumpere, haereticos etiam durioribus poenis afficiendos esse putat; aut LIPSII cum MAIMBYRGIO facientis, in re publica non tolerandam esse, nisi unicam religionem; aut Loiolitarum impiae artes?^{m)} Longe alia praecipunt doctissimi Iuris Doctores.

§. XXVII.

h) HORATIVI Ep. VII. IUVENALIS Sat. XV.

i) l. c. §. 56 — 66.

l) Similes argutias AVGVSTINI vide apud ARNOLDVM L. IV. c. VIII. §. 54.

m) Quam granibus rationibus soleant ad vexandos haereticos adduci religionis intempestivi defensores, elucet etiam ex exemplo ab ERASMO in Annot. ad N. T. allato. quod nuperrime, nescimus apud quem scriptorem legimus, et excellentiae causa repetimus. Ita vero: Idem, inquit, locus (Tit. III. 10) est, quem senex quidam theologus et imprimis seuerus in CONCILIO produxit. Cum venisset in questionem, num quis esset locus in Litteris Canonicis, qui inderet haereticum officii supplicio capitis, DE VITA, DE VITA, inquit, putans deuiare Latinis esse de vita tollere. Id ne quis suspiceretur meum esse commentum; accepi ex Ioanne Coletio, viro spectatae integritatis, quo praesidente res acta est.

§. XXVII.

SANCTISSIMAE etiam religioni, cuius tamen causam se agere temere gloriantur, impia ista et inhumana conamina repugnant. ⁿ⁾ Tolerabat generis humani Redemptor errantes, eorumque imbecillitati mira sapientia succurrebat, impios modo, scelestos iusta severitate increpabat; qui se eius imitatores esse praedicant, acerbissimo odio dissentientes prosequuntur. O praeclaram imitationem! Quamnam sibi ecclesia conciliat auctoritatem tolerando impios, errantes atrocissime vexando? Inhumanum censent gentes a vera religione auersas armis opprimere; quanto igitur potius errantes Christianos, qui eundem DEVM adorant, ob opinionum dissidia scelestorum loco habere prohibebit sancte praecepta humanitas? Recte quidem BAEIIYS putat, si qui fuerint, qui ob religionem odisse alios velint, illis expectandum esse, donec Aegyptiacarum gentium exempla secuti alii hos venerentur, alii Christianorum illos deos. ^{o)} AVGVSTINVS quidem arbitratus est, de haeresibus scripturo opus esse singulari DEI auxilio; ^{p)} multo magis igitur haereticos iudicaturus hoc auxilio indigebit.

a) Verissimum est illud SOCRATIS L. VII. c. 3. de Theodosio Synadorum Episcopo:

τοῦτο ἐποίησεν οὐκ εἰσὶν δὲ διὰ τὴν ἡγεμονίαν ἐκκλησίαν, ἕτεροι δὲ τῆς ἐκκλησίας πλείους.

Quae ad hunc locum commentatur VALESIVS, ut etiam AVGVSTINI, quam adferri auctoritas, ad rem plane non faciunt. — Veritatem quidem commendat Scriptura, verum etiam pacem. Zach. VIII. 19. Infirmos in fide non abiciis, sed assimis, et imbecillitates sustineri iubet Apostolus: Rom. XIV. XV. Add. Matth. XII. 7. Eph. IV. 1-6. Phil. III. 15, 16. I Cor. XIII. 4-7. Gal VI. 1, 2. 14-16. Quid quod gentiles in ea fuerunt sententia, errantes esse tolerandos. Vid. A. G. BAYMGARTENII *diff. de abnegatione Philosophica*. §. 31. Liceat nobis adiungere illud CICERONIS L. I. *de fin. bon. et mal.* — Differentiam inter se reprehensiones non sunt vituperandae. Maledicta, contumeliae, iracundiae, contumeliones, concertationesque in disputando portinaces indignae mihi philosophia videri solent. THEMISTIVM Valenti Ariano oppressionem Orthodoxorum dissuasisse ex ipsis historiae eccl. scriptoribus constat. SOCR. IV. 32. SOZOM. VI. 36. NICEPH. XI. 46. ANTONINVS PHILOSOPHVS eiusdem lenitatis exemplum praebet; (Conf. EVSEBIVS H. E. L. IV. c. 13. et VALESIVS ad h. l.) nec difficile esset, plura addere, si alias pateretur locus. Recta ratio, animusque pravis cupiditatibus vacuus de erroribus humanis aliter indicare non possunt.

o) Dict. H. C. ART. HENR. ALTING NOT. E.

p) In praef. Libr. de haer. Cernis me, *quid agam, piis ad Deum non solum tuis, verum et aliorum fratrum orationibus adiuvandum.* Quem locum citat BEAUSOBRE in *diff. sur les Adomites*, quae extat in Bibliotheca Germanica (Bibliothèque Germanique) T. IV Art. III. p. 118. ubi: *Il n'y a point, inquit, en effet d'Ouvrage, ou un Auteur ait plus de besoin d'être aidé de la Grâce, que dans une histoire des Hérésies, parce qu'il n'y en a point, ou il se trouve un plus grand concours de causes d'erreur etc.*

digeat. Quod si pie implorassent DEVM austeri iudices, non tanto animi ardore in innocentissimos saepe saeuissent; verum quod nunc in Conciliis maxime placet, et cum rei ratione optime tandem conuenit, est precatio de remittendis peccatis in fine Conciliorum habita. Nobis imprimis, qui Romanae tyrannidis iugum excussimus, dedecori cedit, si odimus dissentientes, cum tamen nostri pontificiorum crudelitatem maximis lamentationibus accusare soleant. Quare etiam sagacissimus Praeful Meldensis BOSSVETVS iniurias, quibus Protestantes premebantur, excusaturus, horum erga dissentientes seueritatem in usum suum conuerit, se scilicet neminem praeter Anabaptistas et Socinianos haereticorum poenis opposuisse. q) Quam turpis mater sit necesse est, quae tam detestandam genuit, aluitque prolem?

§. XXVIII.

FIDEI HVMANAE nimia et improba veneratio tantos excitauit furores, ut etiam, quod prudentiori posteritati incredibile forte videbitur, in libros tanquam scelestissimos homines saeuierint. Nisi scripta NUMAE POMPILII iussa Senatus combusta essent, r) rectius dixisset SENECA, s) eo saeculo ingeniorum coepisse supplicia, quo et desierint ingenia. Huius saeculi imprudentiam imitati haereticorum iudices libros iisdem fere, quibus haereticos, suppliciis multarunt. Sic non solum vetabat Imperator Thalam, t) sub quo nomine ARIUS librum sententias suas continentem exhibuerat, praelegere; verum etiam CONSTANTINVS, quod BAEIVS recte deridet, u) Arianorum libros omnes comburi iussit, poenasque proposuit libros istos asseruaturis. x) Habuit Imperator iste, qui crudelitatem imitarentur; y) neque, quae succedebant, saeculis mos ille abrogatus est. Quis est, qui nesciat REVCHLINI controuersiam, aut quam prius commemorare fas erat, GREGORII in liberales artes iniuriam, aut CAROLI QVINTI de comburendis LVTHERI scriptis mandatum? Quod tamen laudari ne in pessimae quidem notae libris potest, tam quod in illis saepius multa sunt, quae refutationi aduersariorum inseruiunt, quam ob suspicionem, in quam se adducunt, qui a libris poenas sumunt, velle sua causa diffisos argumenta, quibus resoluendis impares sint, vi et armis tollere. Etiam at

C

que

q) Dans l'histoire des variations des eglises protestantes.

r) PLVTARCHVS in vita Numae; LIVIVS L. XL. c. 29.

s) Praef. L. V. Contr.

t) SOZOMEN. L. I. c. 21.

u) l. c. Art. ARIUS.

x) SOCR. L. I. c. 9. SOZOM. L. I. c. 21.

y) EVAGRIVS L. III. 4.

que etiam puto, poenas a libris repetitis rebus humanis fraudi esse. Qui obscuri erant, a paucis quaesiti, a paucioribus lecti post supplicia diuulgantur latius, intentius quaeruntur, bibliopolis exoptatissimum paratur lucrum.

§. XXIX

ALTIVS ASCENDAMVS: dissidia quidem, et crudelissimae vexationes fructus fidei humanae, sed pro dolor, licet tristissimi, non tamen vniui sunt. *Veritas sub hac tyrannide mire imminuitur, et laceratur.* Vbi enim arbitrium hominum erroribus obnoxiorum in rebus a rationis acumine disiunctis legis vim obtiner, non possunt non bonis admisceri mala. Historia rei huius fidem nobis facit, docetque, praeceptiones humana auctoritate munitas non solum fidei diuinae, sed omnis etiam religionis contemnendae extitisse causas. Quod si recte iudicauit B. TABLONSKI: *haereticos esse, qui fidem propriam legis loco ponant; 2)* videant, qui sic dictas haereses quoquo modo tollere volunt, ne sibi pessimae haereseos notam ipsi inurant. Si etiam iudicandi, suamque sententiam proferendi libertate sublata, veritas ipsa seruituti subiici, hominumque imperio videtur; fides certe humana veritati longe inimicissima habenda erit. Apostoli quidem volunt, *ut omnia probemus, neque cuiuslibet credamus 3)*; quod vero fieri nequit, ubi fides humana imperium sumit. Felicitas sentiendi, quae velis, et quae sentias, dicendi reddidit sacris rebus puritatem; inhabilis fuisset ad repurganda sacra, si se esset fidei humanae vinculis alligari passus LUTHERVS. Neque putandum est, viatorum religionem, si nempe ab eo, quod sanctioris doctrinae caput est, et in Scriptura diserte traditur, recesseris, omni ex parte esse perfectam, ut, quo ulterius progrediamur, non habeamus. Quare memorata digna semper nobis visa sunt verba Theologi cuiusdam Augustani, qui: *brevisque (alius scilicet temporis opportunitati reseruanda) disquisitio, inquit, de reliquiis Fermenti Pharisaici in Ecclesia Christiana adhuc dum obuiis, nisi forte a posteriori hooce instituto me absterruerint, quae Abrahamo Heidano eadem in Reformatae Ecclesiae delitescens quaerenti, indaganti, omnibusque palam facienti oborta sunt negotia. 4)*

§. XXX.

2) In diss. de vera significatione vocis *zigeis* §. 6.

3) 1 Thieß. V. 21. 1 Ioh. IV. 1.

4) a GOHRÉN Superint. Schönb. in fine diss. de fermento Pharisaeorum sub praesidio WEISSENBORNII Ienae MDCCXXVIII. pro Gradu habitae.

§. XXX.

QVI PLACITIS HOMINVM vim legis vindicant, sibi etiam libertatem adimunt ipsi, et temere in semet legem sanciunt iniquam; dum etiam quae volunt, et credunt libenter, et quae sentiunt ipsi, reliquos sentire sperant, volunt, iubent, cogunt, ne umbra quidem libertatis remanet. Hoc si ne etiam fides humana idoli loco posita est, ut credendi libertas tolleretur; si enim e Scriptura modo, eiusque locis nullum dubium admittentibus haurienda essent dogmata, vacillarent nonnunquam inueteratae opiniones, ut hae vero salvae essent et integrae, formulae cudebantur ceteris Christianis praescribendae. Verus Papismus, qui non solum intra Romae moenia residet, sed longe lateque sub lenioris nominis simulatione dominatur. Peccatur Iliacos intra muros, et extra. Equidem scio, Symbola vsus non contemnendos praestare — — — cauendum tamen, ne nimis urgeantur, neque nimis specialia dogmata desiniant, ne conscientiae tenerae, quae nihil praeter S. Scripturam in rebus fidei assumit, vis inferatur. Exemplis demonstratum est, huiusce coactionis effectus plures malos, quam unquam bonos fuisse: lege Lector historiam motuum propter Concilium Chalcedonense, ut et Henoticon Zenonis excitatorum, ac contremisce. Ita sentiebat Vir Apostolicae pietatis, B. TABLONSKI; e) audi alium celebrem doctorem: d) Mancipandis, inquit, animis, atque ad assensum inuitis trabendis nouae fiebant de credendis leges, noua Symbola fidei, nouae sanctiones, noua anathemata in eos, qui vel latum vnguem circa res saepe obscurissimas, neque in Scriptura definitas, a receptis placitis vocibusque discederent. Sic homines se homines obliti, DEI propria sibi sumserunt. Sic iugo a DEO imposito aliud atque aliud iugum addidere. Sic fides imperata, quae suaderi potius debuit, quaeque soli DEO suberat, humanis placitis atque imperiis subiecta est conscientia; plane contra exemplum Apostoli, qui non fidei dominari, sed fidelium gaudio seruire, sui muneris esse censebat. Quae etiam iniustitia effecit, ut multi sint ab inquirenda veritate, aut promulganda deterriti. Cum enim fama malum sit, quo non aliud velocius vllum mobilitate viger, viresque acquirat eundo, tam ficti prauique tenax, quam nuntia veri; veriti, ne haereticis adscribantur, muneribus moueantur, eiiciantur e patria, vel carcere fatigantur et vinculis, silent, aut cum somniantibus somniant, meliora probantes deteriora sequuntur. Infelicia tempora, quae tam turpem simulationem postulant!

C 2

§. XXXI.

c) l. c. §. 14.

d) TVERETINVM in Orat. de adulterati Christianismi caussa.

§. XXXI.

PERGAMVS; magna est malorum messis. En fraudes sub fidei humanae tutela tutas, sacras. Nil iam de gentiliū nugis, quibus credulum vulgus deceperunt sacerdotes, qui se a diis edoctos esse simularunt; aut per oracula voluntatem deorum significare, et futura praedicere venditarunt. Mirabile iam olim Philosophis videbatur, quod non rideat haruspex, cum haruspicem viderit. De Christianorum rebus sermo nobis est; hae quam turpibus sunt fraudibus deturbatae? Pias fraudes, imo potius impias, spurios foetus tum Apostolis, tum Apostolicis viris adscriptos, Imperatorum donationes fictas, Pontificum Pseudo-Decretales, falsa miracula, legendas putidas, aliaque id genus commenta, adulterando Christianismo, vel corruptelis saltem confirmandis plurimum inseruisse, omnino peregrinus sit in ecclesiae rebus, qui nesciat, ad eundem fere modum, quo, qui genuinis nobilitatis instrumentis destituuntur, mendacia eudere non erubescunt. c) Ex fide humana oritur etiam inconstantia et mutabilitas mentis. Quum enim ficulneo fundamento nititur, ubicunque maior accesserit auctoritas, aut homo, quem auctorem secuti sunt, mutet opinionem, religionem etiam mutant, eademque temeritate ad alteram partem transeunt, qua alteri olim se adiunxerant. Patet id vel ex exemplo Christianorum post Concilium Nicaenum, qui nunc ARII, nunc ALEXANDRI factioni adhaeserunt, prout Imperatores aut huic parti fauerent, aut illi. Fidei tandem seruuli Pharisaeica superstitione seducti haud dubitant, legem diuinam nonnunquam transgredi, vt seruentur instituta humana. Num hoc in coetibus, qui se a Romanis sordibus purgatos esse praedicant, nunquam accadat, iudicet attentus ad res, quae sunt, isque candidus rerum aestimator. Tristibus denique fidei humanae tyrannidem exercentis fructibus annumeranda etiam est impia illa religionis contemptorum audacia, qua diuina humanis miscent speciem mendaciis suis addituri; specimen huius rei dedimus nuper in IULIANO. Plura sunt, quae possunt ad destruendum humanae fidei idolum adferri; haec vero persequi et charta prohibet, et festinatio. Id vnum modo quaeremus, qui fiat, vt fides humana tam sanè colatur, licet plurimi probe norint, quam vana sit humana auctoritas. Vtinam origo horum malorum in praeconceptis modo opinionibus, et non in animorum quoque prauitate et impurissimis cupiditatibus quaerenda esset!

§. XXXII.

OPINIO quidem temere assumpta est, in diiudicanda rerum veritate rationem esse habendam antiquitatis. Quo fit, vt fides humana tot saeculis cul-

c) TYRRETIVS I. c.

ra et celebrata sacra esse existimetur, vt cum SYMMACHO faciant, qui: *si longa*, inquit, *aetas auctoritatem religionibus faciet, seruanda est tot saeculis fides, et sequendi sunt nobis parentes, qui feliciter secuti sunt suos.* Cui antiquitatis studio se interdum adiungit inuidia, nouitatem ab aliis introductam inuisam reddit, in mustaceo quaerit laureolam.

Hi sunt inuidiae nimirum — — — mores,

Praeferat antiquos semper ut illa nouis.

Sic veterem ingrati Pompeii quaerimus umbram,

Et laudant Catuli Iulia templa senes.

Huc accedit arrogantia Doctorum

qui turpe putant, parere minoribus, et quae

Imberbi didicere, senes perdenda sateri.

Difficile enim est docere, sed dedocere est multo difficilius, praesertim eos, qui longo tempore sunt in errore versati, nec errant soli, sed socios erroris habent patres, et auos, et omnes fere maiores suos. Hi homines eruditione sua inflantur, opinioniones suas aliis volunt obtrudere, nec quemquam priorem ferre possunt, nec parem; sibi soli sapere videntur, sua solum legunt, sua amant, ceteros indicta causa condemnant; quaerunt gloriam ab hominibus, itaque se ad illorum consuetudinem componunt, se defensione receptarum opinionum, licet ipsae non placeant, commendaturi; oculis male lippi inunctis in amicorum vitia tam cernunt acuti, quam aquila, aut serpens Epidaurius. Ambitioni se iungit nonnunquam auri sacra fames. Nubem pro Iunone amplectuntur, vt suis facultatibus consulant, et probe tenent maiorum statuta, vt amicos sibi et fautores, horumque auxilia et beneficia concilient. Nisi igitur calamitates timerent, prodirent plures, et veritatis honorem et puritatem vindicarent, sic vero iniquo metu oppressi improbe silent. Alii *Curios simulant, et Bacchanalia viuunt*; sanctitatis famam sibi conciliaturi in miseros haereticos atroci ferocitate irruunt; intra priuatos autem parietes Baccho litant et Veneri. Sunt etiam *adulatores*, qui Praesulum et Doctorum auram captant, ab iisque gratiam et opem expectant, in eorum verba iurant, quaestumque longe vberimum putant, omnia adsentari. Plerique forsan eunt, qua itur, duces suos caeco impetu secuti, quod infausto omine ad docendi munus accesserunt, cum feliciores fuissent in aratro ducendo, aut tanta sunt ignauia, vt parum curent religionis causam, sed otium, imo vero turpissimum languorem in maximis vitae deliciis ponant. Hae sunt nimirum rationes, ob quas fides humana vigeat, et diu, vtinam nos falleret tristissimus metus, vigeat.


22 DE FIDE HVMANA EX PVRIOR. SACR. PROSCRIBENDA.

§. XXXIII.

CONFER iam, si placet, hodiernam Christianismi faciem, cum illa, quam habuit acuo Apostolico, et vices nostras luge. In ecclesia primaeva nulla vides Concilia, nulla Symbola, nullas vexationes, nullam pompam in dogmatibus, ritibus, ceremoniis, nobilem autem in tradenda doctrina sacra, et oraculis interpretandis ab omni vana subtilitate abhorrentem simplicitatem, in cultu ardorem integrum, in vita pietatem, modestiam, tolerantiam ^{f)}; redi ad nostra tempora, et mirare — — hem quo sunt res redactae — — Concilia, Symbola, Confessiones, Decreta, sed etiam dissidia, rixas, contentiones, conuicia, bella, quaestiones tortuosas et difficiles, languidum cultum, vitam a ceteris gentibus non nisi blanda morum specie, quam elegantem vocant, abhorrentem. Haec ut se habeant, ubi ad exitum nos conuertimus, qui nobis omnia idem patet, quam manifestissime deprehenditur, nullius esse in rebus sacris fidem humanam momenti. Quando enim felix faustaue venerit hora, mortalium rebus exemptos ad altiores sedes euectura, fides ista nullam habebit in animos vim. Neque quaeretur in Concilio nouissimo, eoque solo vere oecumenico de Conciliis, de Symbolis, de Decretis, de Societate ecclesiastica, ne de vllis quidem opinionibus: — — ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἐν τοῦτων, τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε: de hoc quaeretur, ex hoc iudicabitur. Utinam huius exitus memores id vnum curarent, ut olim ex praesentis vitae diuersorio laeti possint abire!

f) SPANHEMII Oratio de Christianismo degenerare.

Die secundo Maii ab hora secunda in Gymnasii Auditorio Publico
 IOANNES HENRICVS FRIDERICVS VLRICH Halensis
de philologiae praestantia nonnulla ex suo ingenio proferre constituit.
 LVDOVICVS FRIDERICVS AVGVSTVS MOERS Parthenopolitanus disquireret, *qua ratione possint gentium mores facillime emendari,*
simulque Gymnasio valediceret.
 FRIDERICVS AVGVSTVS HEINZE Halensis *de origine sepul-
 turae in aedibus sacris ager.*
 FRANCISCVS WILHELMVS MICHEL Halensis *iactantiam
 scholasticam notabit.*
 IOANNES WILHELMVS ALBERTVS THIMME Bern-
 burgensis illud Senecae: *Nil magis praestandum, quam ne pecorum ritse
 sequamur antecedentium gregem* — — — explanabit.



125 D 2

Thirre
Thirre und in

Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in
Thirre und in

W 18

